

A Q V A T O R I V M

ASTRONOMICVM IOANNIS SCHONERI

MATHEMATICI NORICI, CVM NOVIS

Canonibus, & figuris Sphærarum singularum.

Medium motum cuiusvis Planetæ inuestigare.



NTRA PRIMO TABVLAM æquationis dierum cum signo & gradu Solis diei tui propositi, ad quem medium stellæ motum inquirere uolueris, accipiendo ibidem ex eius directo minuta & secunda temporis, quæ subtrahe à tempore dato, & habebis tempus propositum æquatum. Deinde prescribe radicem incarnationis Christi, quæ in calce tabulæ planetæ, cuius æquabilem motum quæreris, inuenitur, in Abaco, in signis, gradibus, minutis & secundis. Postea considera quot anni sint elapsi & completi ab anno radicis Christi, quia cū eisdem annis, mensibus, diebus, horis, & horarum fractionibus intra tabulam medijs motus planetæ propositi, primo cum annis quærendo eos in tabulæ prima serie numeri, sinistram uersus, & si eos simul & semel in serie una numeri inueneris, motum eorum ibi inuentum sub radicem Christi signabis, signa sub signis, gradus sub gradibus, ac demū quotlibet sub suo genere. Sin tabula eos præcise non obtulerit, accipe annos completos proximè eis minores, in eadem linea numeri annorum, quorum motus in signis, gradibus, minutis ac secundis, subscribe etiam radici, unumquodq; sub suo genere. Quære etiam in eodem ordine numeri annorum reliquos annos completos (si quos ultra introitum primum adhuc habes) & ex eorum directo motum inuentū iam iam inuentis subscribe. Iam si tempus datum ultra annos, & menses habuerit, quære eos in tabula mensium. Sunt autem ubiq; duplices mensium tabulæ, quarum una mensibus anni communis, altera uero anni bisextilis inseruit. Hic igitur considerabis num annus currens propositus bisextilis sit, an né communis, si enim communis fuerit, intra tabulam mensium anni communis, cum præterito seu cōpleto mense, si bisextilis, tabulam mensium anni bisextilis, subscribendo similiter inuentum ad dextram motum prioribus, quodlibet suo generi, prout tituli capitū demonstrant, similiter ages cum diebus, in tabulam diebus addictam ingrediendo, quærendo numerum dierum in primo ordine numeri ad sinistram, & motum illi diei ascriptū ibidem repertum subnotabis etiam reliquis. Sic simili ratione fiet cum cæteris fractionibus, si quas habuerit, in tempore tibi proposito. Hoc solo animaduerso,

a quod